

cedatur, nisi Episcopus jam præviè circa Ordinandos se informaverit; aut saltem eam habeat securitatem de Præfectis ac Directoribus Ordinandorum, ut merito horum testimoniis deferre queat.

XLI. Ut autem se ad Sacros Ordines melius præparent, magna que discretione se astringant, voluit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. parte 2. tit. 8. "Subdiaconatum suscipere, quo diligentius vitæ pendat rationem, cui se, illum suscipiendo, sanctè obstringit; ac proinde de re totà accuratius deliberata, puriori mente ardentiorique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo Sacro Ordine initiatur, ad aliquem semotum locum adeat, ubi ab omnibus curis & occupationibus liber, cum omnis ante actæ vitæ suæ diligenti conscientia discussione peccata ritè confiteatur: tum in salutaribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce & moderatore sibi adhibito, religioso viro, earum usi perito, quem Episcopus in primis probabit.

"In illis autem, vel mensè, vel longiori, breviorive tempore persistat, prout de moderatoris consilio Episcopus expedire censuerit. Quas item exercitationes, eodem præscripto, & modo, eo tempore Diaconi, cum ad Sacerdotii gradum accessuri sunt, pie inaneat ac præsentent.

Hæc spiritualia exercitia plures Synodi Belgicæ etiam præscribunt; & signanter Synodus Namurcensis anno 1659. tit. 8. cap. 5. decernit: "Ante quemlibet Ordinem majorem, quilibet Ordinandus in loco aliquo à secularibus remoto, per novem dies continuos exercitiis spiritualibus se fideliter probet, ibique ante actæ vitæ exomologesim faciat, & per sacras meditationes, & pias orationes Dei voluntatem exquirat, & ad Sacrum Ordinem suscipiendum se præparet.

Sed quia illa pietatis exercitia multum dependent à pietate & prudentia Directoris, hinc merito addidit S. Carolus, ut agantur sub Directore, quem Episcopus in primis probabit.

CAPUT V.

De Ordinum Interstitiis.

1. Ordinum interstitia olim nota.
2. Adhibita ut Ordinandi probarentur.
3. Varia circa moram temporis, qua intercedere debebat, Ecclesiarum disciplina.
4. Antiquitus etiam necessaria erant inter Minores Ordines.
5. Ordines etiam Minores non conferebantur, nisi illi qui actualiter functiones erat peracturus; nec duo eisdem simul conferri poterant.
6. Interdum quis omisso Ordine Minore suscipiebat Majorem; nec tamen per saltum promotus censebatur.
7. Hodie Ordines Minores requiruntur ante Majores, non tantum ad probationem; sed quasi integritatem Ordinis.
8. Ordines Minores hodie conferuntur licet Ordinatus nunquam functionibus illorum sit applicandus.
9. Si quis Ordine Minore omisso ad Majorem sit promotus, dicitur promotus per saltum; & debet omisus suppleri.
10. Operat quoque hodie Ecclesia ut Ordinandi incumbant aliquo tempore Minoribus Ordinibus, priusquam ad Majores promoveantur.
11. Inter Sacros Ordines requiritur interstitium unius anni.
12. Annus non intelligitur Civilis sed Ecclesiasticus.
13. Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt dispensare.
14. Episcopus Ordinandum vigore Dimissorialium non potest dispensare.

15. In hac dispensatione præcipue attendendum, num Ordinandi sint sufficienter probati.

16. Quomodo in pluribus hodie dispensatione ratio obtineat.

17. Duo Sacri Ordines nec ex dispensatione Episcopi unius eodem die conferri possunt.

18. Ordines Sacri extra statuta tempora, nec dispensante Episcopo, conferendi.

19. Corollarum ex præcedentibus.

Antiqua Ecclesiæ lex est, ut uno inferiore Ordine suscepto aliqua temporis mora interponatur, priusquam ad ulteriorem ascendatur; neque è laico mox ad supremum Sacerdotii gradum quis sublimetur sed gradatim à minore ad majorem ascendat.

II. Unde in Concilio Sardicensi Can. 10. Hofius quoque Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura & omni diligentia examinetur; ut si quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi, scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia & moderatio possit cognosci; & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequatur.

Hæc temporum intervalla quibus in inferioribus Officiis est sistendum, antequam ad superiores ascendatur, posterior ætas Ordinum interstitia nuncupavit.

III. Circa moram temporis quæ inter hæc temporum intervalla intercedere debet, licet non eadem semper & una fuerit omnium Ecclesiarum disciplina, illam nihilominus quæ ab Ecclesia præscripta erat, religiosè servandam esse, tam Pontifices, quam Concilia frequenter sanxerunt; quorum plura Decreta referuntur apud Gratianum *Distinct.* 77.

IV. Nec tantum inter Sacros sive Majores; sed & minores Ordines, hæc temporam intervalla religiosè servabantur; uti ex relatis Decretis apud Gratianum videri potest; imò ipsa quodammodo temporis illius disciplina aliud fieri vix permittere poterat.

V. Pristinis enim illis seculis, nemo etiam minore Ordine initiabatur, nisi ut illius functiones actualiter exerceret, & tamquam Ostiarius v. g. aut Acolytus Ecclesiæ ministraret. Et cum singulorum Ordinum essent diversæ functiones, nemo eodem tempore duobus initiabatur; quia inconueniens visum fuisset, duobus ordinibus aliquem insignire, qui non nisi unius Ordinibus functionibus esset applicandus.

VI. Quare ea erat uniformis omnium Ecclesiarum praxis, eaque multis seculis invariata, quod Ordinum etiam Minorum collatio eum dumtaxat in finem fieret ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur; si verò judicaretur aliquem altiorem Ordinem mereri, nec in Minore esse probandum, Minor Ordo omittetur; eodem omisso ad majorem promovebatur; neque taliter promotus dicebatur per saltum promotus; aut Ordo omisus priusquam in superiore Ordine suscepto ministrare posset, suppleri debebat; quemadmodum latè & solidè probat Morinus *De SS. Ordinationibus parte 3. Exercit.* 11. cap. 2.

VII. At recentior ac moderna disciplina, Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur & insitit; sed insuper ut necessario prærequisitos ad majorem; ita ut Ordini superiori aliquod quasi deesse videretur nisi omisso inferiore esse collatus.

VIII. Hinc si etiam Ecclesiæ necessitas aut utilitas postulet, ut quis simplex Clericus repente ad Sacerdotium promoveatur;

moveatur; sciaturque, illum nunquam inferiorem Ordinum functionibus applicandum, nihilominus omnibus inferioribus Ordinibus erit initiandus, quantumvis eodem die, antequam Sacerdotio initiari queat.

IX. Et quidem si vel uno omisso promoveretur, per saltum promotus censeretur; atque de hujusmodi promotis agit suo titulo Decretalium *De Clerico per saltum promotus*, & in Concilio Tridentina *Sess.* 23. cap. 14. *De Reformat.* ubi dicitur: "Cum promotus per saltum si non ministraverit, Episcopus ex legitima causa possit dispensare"; nimirum ut in Ordine suscepto ministret, postquam Ordinem omisum susceperit; ut colligitur ex *Cap. Unico* & *De Clerico per saltum promotus*.

X. Verum tamen hodierna disciplina collationem inferiorum Ordinum prærequirit tamquam partes quodammodo integrales Ordinis superioris, nihilominus etiam nunc hodie optat Ecclesia, ut ordinibus illis insigniantur qui functionibus Ordinum illorum incumbant; atque certo tempore in illis probentur, priusquam ad aliores assumantur.

Quid Synodus Tridentina, ac Synodi Belgicæ de interstitiis inter Minores Ordines servandis dixerint, sufficienter expolitum est supra *parte 1. tit. 1. cap. 2.* quare hic dumtaxat de interstitiis servandis inter Sacros Ordines dicendum.

XI. Synodus Tridentina *Sess.* 23. cap. 13. *De Reformat.* ait: "Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur."

Et *cap. 14.* agens de assumendis ad Ordinem Presbyteratus ait: "Et hi sunt qui non modo in Diaconatu ad minus per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur, ministraverint &c."

Itaque ex dispositione Concilii Tridentini, cui praxis hodierna Ecclesiæ est conformis, inter Sacros Ordines requiritur ut minus unius integri anni interstitium.

XII. Annus hic non intelligitur civilis constans integris duodecim mensibus; sed Ecclesiasticus, verb. gr. à vigilia Paschæ hujus anni usque ad vigiliam Paschæ anni sequentis; tamen contingeret, ob mobilitatem festi Paschalis, nondum duodecim integros menses à susceptione ultimi Ordinis Sacri effluxisse: quemadmodum communiter tenent Canonistæ, uti videre est apud Barbosa *De Potestate Episcopi parte 2. Allegat.* 14. num. 2. & notoria praxis comprobatur.

XIII. Tribuit autem Synodus Episcopis potestatem dispensandi super his interstitiis, modo id utilitas Ecclesiæ suæ dispensationem postulent.

Hanc eandem potestatem esse penes Capitulum Sede vacante; eo quod in jurisdictionem Episcopi succedat; & hæc dispensandi auctoritas jurisdictionis Episcopalis esse censetur; uti & in Vicarium Capituli, observat Barbosa loco citato *num. 6.* & quotidiana praxis ostendit.

XIV. Episcopus autem cui vigore litterarum dimissorialium facta est potestas aliquem sibi non subditum ordinandi, illum ordinare nequit non observatis interstitiis, nisi proprius Episcopus dispensaverit, & in litteris dimissorialibus id expresserit. Hic enim Episcopus cum tantum possit in hunc non suum subditum potestatem exercere vigore litterarum Dimissorialium, tenetur ejus tenorem observare, nec quidquam sibi arrogare potestatis ultra illam quæ litteris expressa est.

XV. Porro quia hæc interstitia jam pridem, uti & hodie præscripta sunt, ut Ordinandi in functionibus inferiorum Ordinum probentur, atque ex eorum recta administratione pateat, num ad altiorem gradum promoveri mereantur, juxta illud Apostoli de Diaconis: *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.* præcipue hic attendendum erit Episcopis, num promovendi ad Sacros Ordines sint sufficienter probati.

XVI. Quid enim si per plures annos in Seminariis aut

Collegiis Academicis fuerint versati; seseque idoneos ad Sacros Ordines etiam Presbyteratus multis argumentis probaverint, tamen vel ob defectum tituli, vel aliam rationabilem causam, suscipere Ordines sacros distulerint, cum his indubie facilius Episcopi dispensare poterunt: eo quod finis interstitiorum jam haberi supponatur. Accedit, quod cum hodie Subdiaconatus functiones ad solam publicam in Missa solemnè Epistolæ decantationem, & Diaconatus ad Evangelii decantationem penè sint redactæ, nulla aut admodum exigua hodie haberi potest probatio capacitatis seu idoneitatis pro Ordinibus Superioribus ex functionibus Subdiaconatus vel Diaconatus, quæ non eadem à Clericis aut Theologis in Seminariis Episcopalibus vel Collegiis Academicis studentibus, & nondum hisce Ordinibus insignitis, haberi queat.

Igitur præcipua cura Episcoporum in conferendis Ordinibus, & in dispensando super interstitiis esse debet, ut intelligant, an Ordinandi satis sint ipsis quocumque modo Probati; ut securè eis manus imponere possint.

XVII. Dispensatio Episcopalis super interstitiis non eo usque tamen se extendere potest, ut nullum inter Ordinem sacrum jam susceptum & suscipiendum temporis intervallum intercedat, eodemque die plures conferantur: quia Synodus Tridentina citato *cap. 13* expressè decernit: "Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur: privilegiis ac indulgentiis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque."

XVIII. Ad hæc ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romanæ, no, licet aliquem ordinare, *cap. 3.* & *De Temporibus Ordinat.* Quod de Subdiaconatu dicitur in hac Decretali, id generaliter de sacris Ordinibus asseritur in *Cap. 3.* & *eod.*

XIX. Itaque cum Episcopus extra statuta hæc tempora Ordines sacros conferre nequeat, ac insuper vetitum sit, eodem die duos Sacros Ordines dare, consequens est, quod non obstantè Episcopi dispensatione, debeat is qui uno die horum temporum Ordinatus est, expectare alterum proximum tempus Ordinationum, ut ulteriorem suscipere possit.

Hinc moris est, ut recurrant ad Sedem Apostolicam speciali dispensatione, qui vel extra statuta tempora Ordinationum ordinari volunt, vel uno eodemque die plures Sacros Ordines suscipere intendunt.

CAPUT VI.

De Titulo Ordinationis.

1. Ecclesia, cui in ordinatione Clericus adscribebatur olim dicebatur ejus Titulus.
2. Titulum mutare non poterant.
3. Ordinari sine Titulo, erat ordinari sine adscriptione alicui Ecclesiæ.
4. Ordinari ad Titulum, & ad certam Ecclesiam olim coincidebant.
5. Titulus ordinationis olim publicè coram populo denuntiabatur.
6. Disciplina hæc nullum alium Titulum agnoscent duravit usque ad seculum 12.
7. Concilium Lateranense loquens de Titulo, aliquam patrimonii mentionem primum fecit.
8. Concilium Lateranense præstam disciplinam labefactare non intendit.
9. Occasio recedendi à præstima disciplina ex Decreto Concilii Lateranensis sumpta.
10. Versimile dicitur Decretum Titulo patrimonialis initium dedisse.

11. *Seculo 13. plane diverſa de Titulo ordinationis idæa præſtina inſultat; quæ & hodie obtinet.*
12. *Decreitum Synodi Tridentina circa Titulum ordinationis.*
13. *Synodus Tridentina Titulum patrimoniale duntaxat ut extraordinarium agnovit.*
14. *Synodus Trid. non vult in Titulo ſolum attendi, an ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem.*
15. *Requirendo Titulum beneficiale unâ voluit præſtinam diſciplinam reducere.*
16. *Quomodo intentioni Eccleſiæ non ſemper ſatisfaciunt Epifcopi, ad Titulum beneficiale ordinantes.*
17. *Quaratione aliquando magis ſatisfaciunt, ordinantes ad Titulum patrimonii.*
18. *Quid nomine Beneficii hic intelligatur?*
19. *Fundatio alicujus Miſſæ quando pro Titulo ſervire poſſit?*
20. *Quid veniat nomine patrimonii?*
21. *Quomodo Beneficium cenſetur verè & pacificè poſſideri, ut pro Titulo admittatur?*
22. *Quandonam patrimonium hinc poſſideatur?*
23. *Qui hinc patrimonium pro Titulo ſupponi habetur pro Ordinato ſine Titulo.*
24. *ſuramentum Ordinandorum de vera Tituli poſſeſſione.*
25. *Quibus ſpeciale perjurii periculum imminet.*
26. *Ad occurrendum fraudibus circa Titulos patrimoniales quid ſtatuerit S. Carolus.*
27. *Ut quis ordinetur ad Titulum patrimonii non ſufficiat habere patrem dicitem.*
28. *Pater cogi poteſt ad aſſignandum filio Titulum.*
29. *Patrimonium aſſignandum ſuper re certa.*
30. *Requiritur Titulus ſufficiens ad ſuſtentationem Ordinandum.*
31. *Quid ſufficiat aut requiratur relinquatur determinationi Epifcopi.*
32. *Magna requiritur in hac determinatione circumſpectio.*
33. *Periculoſum aliquid generaliter pro Tituli ſufficiencia determinare.*
34. *Nonnulli Epifcopi juſto rigidiores.*
35. *Quid in Tituli determinatione præcipue attendendum?*
36. *In Titulum Honoraria Miſſarum non imputanda.*
37. *Titulus alienari vetitus.*
38. *ſuramentum Ordinandorum de non alienatione Tituli.*
39. *Edicta Principum de non alienandis Titulis.*
40. *Prohibitio alienationis intelligitur ſalvo jure tertii.*
41. *Reditus redimibilis in Titulum aſſignatus poteſt redimi; ſed reapplicandus.*
42. *Titulus patrimonialis an alienari queat mox adepto Beneficio?*
43. *Filius mortuo patre, an bona in Titulum data retinere queat?*
44. *Qua ſi poena ſine Titulo Ordinatorum?*
45. *An Ordinati ſine Titulo irregularitatem incurrant, ſi miniſtrent in Ordine ſuſcepto?*
46. *De obligatione Epifcopi providendi Ordinato de neceſſariis.*

Titulus Eccleſiaſticus olim dicebatur Eccleſia ad quam deſervendam ordinabantur Diaconi aut Presbyteri; ita ut in ea ſtabilitatis promiſſionem facere tenerentur, & ab ea recedere non poſſent.

II. Hinc Capitulare datum in Synodo cui interſuit Bonifacius Apoſtolice Sedis Legatus circa annum 144. cap. 5. De Sacerdotibus qui ſuos titulos abſque licentia Epifcopi dimittunt aut dimiſerunt, ſtatutum eſt, ut tamdiu à communione habeantur alieni, quouſque ad ſuos titulos revertantur.

In Canonibus Iſaacii Epifcopi Lingonenſis ſeculo IX. legitur tit. 16. cap. 2. "Ut Presbyteri qui in titulis conſecrantur ſecundum Canones, antequam ordinentur, promiſſionem ſtabilitatis loci illius faciant."

Synodus Remenſis anno 813. Can. 20. "Ut Presbytero de minore titulo ad majorem non liceat tranſmigrare."

Addit ſub idem tempus Synodus Turonenſis III. cap. 14. Sed in eo permaneat ad quem ordinatus eſt.

Neque alio ſenſu accipiebatur in Synodo Londinenſi anno 1125. ubi ſtatuiebatur: "Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum niſi ad certum titulum ordinetur: qui verò abſolute fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate."

III. Jam enim pridem Canone 6. Concilii Calchedonenſis vetitum erat, aliquem abſolute ſive ſimpliciter ordinare; Canonis verba ſunt: "Placuit nullum abſolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum qui ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monaſterio, is qui ordinatur, deſtinetur. Eos autem qui abſolute ordinantur, decrevit S. Synodus irritam ac invalidam habere ejuſmodi manuum impoſitionem, & nulquam exercere ac operari poſſe ad ejus qui ordinavit injuriam."

Hic ordinari abſolute opponi ordinationi ad certam Eccleſiam, ſive Oratorium vel Monaſterium cui ipſa ordinatione alligetur, ut ibidem functiones Ordinis ſui obeat, ipſe Canonis contextus ſufficenter probat.

IV. Unde ad titulum promovendi olim idem ſonabat, quod alicui Eccleſiæ in ipſa ordinatione adſcribi, aut eidem intulari.

Antiqua admonitio Synodalis: "Res & facultates quas poſt diem ordinationis veſtra acquiritis, ad Eccleſiam, ad quam titulari eſtis, pertinere ſciatis. Et Ratherii Veronenſis Epifcopi Epitola Synodica ad Presbyteros: "Nullus Eccleſiam ad quam titularis eſt, relinquat, & ad aliam quaerſtus cauſa migret. Ita quoque habetur in Capitularibus Caroli M. lib. 3. cap. 5. Adde Concilium Placentinum anno 1095. cap. 15.

Itaque antiquitus ordinari ad titulum nihil aliud erat, quam ordinari ad certam Eccleſiam, ſive alicui Eccleſiæ intulari ſeu adſcribi ad hoc, ut Ordinis ſuſcepti functionibus incumberet.

V. Hi autem tituli ſive Eccleſiæ cui quiſque Ordinandorum adſcriberetur, in ipſa Ordinatione publice denuntiabantur: cujus denuntiationis formula in antiquo Ordine Romano exprimitur hiſ verbis: "Alcendit lector ambo, nem & elevatâ voce legit Breve in aures populi continentem: Agnoſcat caritas veſtra, quia ille & ille advocantur in tali officio vel in tali gradu: ſi quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter proter Deum & ſecundum Deum, & dicat.

Quod ſi nullus aliquid opponeret, tunc vel ab Epifcopo, vel ab Archidiacono pronuntiatio hæc coram populo fiebat: De domo ſanctæ Mariæ elegimus Petrum in Presbyterum ad eundem titulum, vel in Diaconum aut Subdiaconum in tali Eccleſia. Iſtiuſmodi publicationis & intularionis meminit Gloſſa ad Cap. 54. De Elect. Verbo, Intularum.

VI. Hæc diſciplina quæ alium titulum non agnoſcebat, niſi Eccleſiam cui Clericus per Ordinationem adſcribebatur, in ea perpetuò miniſtraturus, duravit uſque ad ſeculum 12. ita ut toto illo tempore, cum de titulo Ordinationis agebatur, numquam mentio patrimonii aut proventuum, unde Ordinandus ſuſtentationem accipere poſſet, ullibi fieret.

VII. Primò Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. ſub ſinem ſeculi 12. de titulo Ordinationis aliquam mentionem Patrimonii fecit. Refertur Decretum in Cap. Epifcopos De Præbendis, hiſ verbis: "Epifcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit: tamdiu ei neceſſaria

titia ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet. Niſi talis ordinatus de ſua vel paterna hæreditate, ſubſidium vitæ poſſit habere."

VIII. Sat maniſeſtum eſt, Concilium Lateranenſe hoc ſuo Decreto nequaquam voluiſſe, præſtinam & tot Canonibus ſtabilitam diſciplinam de non ordinandis Presbyteris aut Diaconis ſine titulo, id eſt, ſine adſcriptione certa Eccleſiæ revocare aut immutare; ſed duntaxat poenam decernere in Epifcopos ſine titulo ordinantes; nimirum, quod ipſi tenerentur hujusmodi Clerico tamdiu neceſſaria ſubminiſtrare, donec in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet. Sed quia æquum non videbatur obligare Epifcopum, ad ſubminiſtrandum neceſſaria Clerico ſine titulo ordinato, qui ſufficiens habebat ex patrimonio, addidit Concilium hanc exceptionem: Niſi forte talis, qui ordinatur, exiſterit, qui de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere."

IX. Interim quia Concilium nullam aliam poenam contra Ordinantes ſine titulo decrevit, niſi quod Ordinantes Clericis ſic ordinatis neceſſaria ſubminiſtrare tenerentur; atque ab hac poena etiam ex Decreto Concilii eximerentur, ſi Clericus ſic ordinatus aliunde haberet vitæ ſufficiens ſubſidium, paulatim creditum fuit, Ordinationes ſine titulo licitas eſſe, modo Ordinandis de ſufficienti vitæ ſubſidio foret proviſum.

X. Quare non ſine fundamento creditur, hoc Decretum Concilii occasione & originem dediſſe titulo Patrimoniali nec non mutationi diſciplinæ per undecim ſæcula circa titulum Ordinationis religioſè obſervatæ; tamen id præter intentionem Concilii acciditſe videatur. Vide Ludovicum Thomafinum De Diſciplina Eccleſiæ parte 4. lib. 2. cap. 2.

XI. Quidquid ſit, hoc negari nequit, titulum patrimonii à ſeculo 13. paſtim invaluiſſe, atque titulum Ordinationis non amplius acceptum fuiſſe pro Eccleſia cui Ordinandus adſcriberetur, eum in finem, ut ibidem ſtabiliter functiones Ordini proprias obiret; ſed pro proventibus è quibus ipſe Ordinandus honeſtè vivere poſſit: adeo ut dum hodie de titulo tractabatur, hoc unum bene examinetur, an Ordinando ſat proviſum ſit, ut honeſtè vivere queat; ne alias incidat in incommoda quæ ex penuria & neceſſarium defectu oriri contingit.

XII. De titulo Ordinationis ſic ſumpto agit Synodus Tridentina Sess. 21. cap. 2. De Reformat. decernitque: "Cum non deceat eos, qui Divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere: competuntque ſit, complures plerique in locis ad ſacros Ordines nullo ferè defectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis conſingunt, ſed beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum hodie de titulo tractabatur, pacificè poſſidere. Id verò beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus; neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtet, quod aliunde vivere commode poſſit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epifcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint."

Ex hoc Decreto patet, Synodum quidem agnoviſſe duos titulos Ordinationis, Beneficiale ſcilicet & Patrimoniale, non eodem tamen modo.

XIII. Nam decernendo, ne quis deinceps Clericus ſæcularis ad ſacros Ordines promovendos, niſi prius legitime ſan Eſpen Jur. Eccl. P. II.

conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum pacificè poſſidere, ſatis indicat, titulum Beneficii eſſe titulum Ordinarium; eumque ſolum ut talem agnoſci à Synodo: Patrimoniale verò, tamquam extraordinarium; ad quem nullum ordinari permiſſum, niſi quem Epifcopus admittendum judicaverit pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiæ ſuæ.

Hinc colligit Fagnanus ad Cap. Epifcopos De Præbendis num. 24. Synodum Tridentinam ſuſtulſſe diſpoſitionem Cap. Tuis; eod. in quantum ibi concedebatur, indifferenter ordinari ad titulum Patrimonii vel Beneficii: "Nam, ait, hodie ſolum Beneficium eſt titulus legitimus ad ſacros Ordines, patrimonium verò non niſi diſpenſativè, quemadmodum alias etiam declaravit S. Congregatio Concilii Interpres."

XIV. Inde ulterius concludendum, Synodum Tridentinam non voluiſſe, in titulo ordinationis ſolum attendi, utrum Ordinandus habeat ſufficiens vitæ ſubſidium. Id enim æque ex patrimonio, quam ex Beneficio haberi poteſt: ſed inſuper, ut Clericus alicui Eccleſiæ vi ſui tituli adſcriptus eſſet, ubi ſtabiliter functionibus ſui Ordinis incumbere; quemadmodum Patrum diſciplina religioſè ſervavit; quæ Clericos otioſos & vagantes nulli ſpeciali Eccleſiæ adſcriptos excluſos volebat.

XV. Per Beneficium autem ex moderna diſciplina Clericus conſtituitur miniſter ſpecialis illius Eccleſiæ in qua ipſum Beneficium eſt fundatum; atque ita Synodus decernendo nullum Ordinandum, niſi qui Beneficium Eccleſiaſticum poſſidet, unâ cenſetur decreviſſe, nullum eſſe Ordinandum, niſi certæ Eccleſiæ tamquam illius Miniſter foret inſcriptus: quod poſtmodum Sess. 23. cap. 16. De Reformat. apertius declaravit, ubi "inhærendo veſtigii ſexti Canonis Concilii Calchedonenſis ſtatuit, ut nullus impoſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus."

XVI. Porro cum hodie plura ſint Beneficia, quæ vel non requirunt reſidentiam, aut personale ſervitium, aut adeo exiguum, ut Clerici ea obtinentes, penè tota die otioſi eſſe, aut incertis ſedibus vagari queant, nullatenus Epifcopi mentem Decreti aſſequuntur, qui quolibet, etiam Beneficium Eccleſiaſticum habentes ordinant; ſi ulterius non examinent, num Ordinatus vi ſui Beneficii ita cenſebitur Eccleſiæ adſcriptus, quod ibi convenienter ad ſuam vocationem muneribus Eccleſiaſticis fungetur, nec incertis ſedibus vagabitur.

XVII. Econtrario, ſi Epifcopus Clericum, nullum quidem Beneficium habentem; ſed doctum, pium, & non obſcura vocationis ad ſtatum Eccleſiaſticum ſigna præferentem; quemque paratum videt ad obeundas functiones Paſtorales aut Eccleſiaſticas, quas ipſi imponere Superiores judicaverint, ad ſacros Ordines ſolo titulo patrimonii admittat vel aſſumat haud dubium, quin hic ipſam Decreti mentem, & Eccleſiæ intentionem allequetur.

Et ſane, plurimos hodie videmus Seminariorum & collegiorum Academicorum alumnos ad titulum Patrimonii ordinatos, qui ſtrenuè & in magnam Eccleſiarum utilitatem functionibus Eccleſiaſticis, vel tamquam Vice-Paſtores, vel Conſellarii aliove titulo incumbunt: ita ut nullatenus titulus Patrimonii ſit reprobandus, modo hoc unum caveatur, ne paſſim eo titulo otioſi ac vagabundi in ſacros Ordines involent; quod jam pridem Eccleſia præcaverè voluit, dum neminem abſolute ordinari voluit; ut ſupra notatum eſt.

XVIII. Cæterum in Decreto Concilii Tridentini nomine Beneficii venit verum Beneficium, quod nimirum in titulum perpetuum per Canonicam inſtitutionem obtinetur.

Unde ad titulum Vicariæ temporalis, aut alicujus fundationis Miſſarum, vel alterius officii ad nutum amovibilis, neque in titulum dari ſoliti, nemo poteſt promovendi tamquam ad titulum Beneficii; imò nequidem pro titulo Ordinationis